



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pauli Segneri Societatis Jesu Brevis Vitæ Historia
cum ejusdem Concordia Quietis & Laboris in Oratione,
Expositione in Psalmum Miserere, Considerationibus de
Inferno, Expositione Cantici ...**

Massei, Giuseppe

AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ, 1707

VD18 12383155

§. XXXIV. Quæ mortem & sepulturam consecuta sint?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47773](https://nbn-resolving.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-47773)

avelli; neque enim horroris quidquam, ut alia cadavera solent, excitabat, sed animi sensus suaviter religiosos, & ad DEI obsequium promptos. Die proxima sub vesperum pallam in Templo, ad parentandum defuncto, expositum est cadaver, & convenerunt eò multi viri illustres, & aliquor Praesules sacri, præter magnum numerum hominum de nostra Societate, quos inter adesse voluit ipse totius Societatis Præpositus supremus Thrysus Gonzalez cum suis Patribus Assistentibus; qui idem Præpositus pridie religioso paternæ caritatis exemplo ejus animam sub migrationem DEO commendarbat, nec omiserat præclara tam egregij subditi merita dignis laudibus efferre.

§. XXXIV.

Quæ mortem & sepulturam consecuta sint?

Vix consueto ritu parentatum defuncto erat, cum mox cadaver in Sacrarium reportatum est, ut Pictoribus, qui expectabant, commodus daretur locus vultus linamenta proximè ad verum exprimendi. Denique postquam eorum etiam piis votis factum est satis, qui manibus oscula figere cupiebant, cadaver loco, quo Tirones nostri humari solent, decenter compositum est: quod etsi ea tunc causâ factum est, quod impeditus esset locus, quo ceteroquin Sacerdotum cadavera conduntur, non tamen absque divini Numinis providâ benignitate id factum interpretor, quæ id solatij beatæ illi animæ indulgere voluit, ut corporis sui exuvias in medio angelicorum pritni fervoris, lectæque innocentiae Juvenum conditas cerneret. Quemadmodum autem sol non aliàs plures spectatores habet, quam cum lu-

M

cis de.

eis delinquum patitur, sic etiam melius à morte, quād dum in vivis ageret, cognosci adque in veneratione esse cœpit P. Paulus noster. Plurimi, etiam præcipuæ dignationis, aliquid regularum ejus studiosè poscebant; nec desunt qui impetratas haud secus ac Sancti alicujus lipsana, argenteis capsis clausas, servent. Undique advolabant literæ, quæ rerum ab eo gestarum distinctiorem notitiam flagitabant, & brevem illam narrationem, quam Pater Pinamontius compilavit, totâ passim Europâ spargere oportuit. Cujusvis gradus ac conditionis homines profitebantur, se privatis suis in precibus ejus opem implorare, & sunt qui varia per eum beneficia obtenta referant. Variis in locis, ubi olim ad Populum dixerat, solenni ritu illi parentatum est. Effigies ejus æri incisa est, & exempla inde magno numero expressa. Magnus Hetruriæ Dux cum inter ceteros nuntium, sibi mœstissimum, mortis ejus accepisset, mox suis Romæ Ministris imperavit, ut viri effigiem, quād accuratissimè posset, & ad virum expressam Florentiam mitterent; quād subinde loco intimi sui conclavis nobilissimo suspendit, ut, quemadmodum scripsit ipsemet, semper ante oculos haberet, quem pectori insculptum circumferebat: quin ut meliorem viri effigiem præcipuorum, quos à consiliis & arcanis habet, virorum animis altius imprimeret, in omnium eorum coetu legi jussit vitæ brevem synopsin, quæ primò scripta fuit.

¶ 10 ¶

§. XXXXV.